

LXXIV.

Quod Diffinitores Generales nequeant assumi in Ministros Provinciales tempore, quo Diffinitores fuerint.

LXXV.

Quod iustis de causis Diffinitorium Generale, inspecta utilitate domus, possit dispensare, ut aliquis Minister reelegi possit in Ministerium ejusdem domus pro triennio futuro a suo Capitulo Provinciali, consentientibus omnibus suffragiis Capituli, prater duo,

LXXVI.

Quod reelectio Ministri sive Conventus nostri Romani Sancti Caroli, sive Collegii nostri de Propaganda Fide, fieri possit, inspecta utilitate domus, & nunquam in favorem ejus, qui reeligatur.

LXXVII.

Quod casu absentiae Provincialis, concurrentis ad Capitulum Generale, Praeses Provinciae erit Provincialis antecedens; & si fuerit inhabilis vel impeditus, Diffinitorium Provinciale, Praeside Provinciale ipso, eligat Praesidem Provinciae pro tempore absentiae; numquam tamen eligat actualem Diffinitorem Provinciae, ne Diffinitorum numerus diminuat.

LXXVIII.

Quod, dum concurrant Commissarius vel Vice-commissarius Generalis intra propriam Familiam, sedeat immediate post Superiorem Generalem Ordinis; & extra Familiam Commissarii post Diffinitores Generales Ordinis.

LXXIX.

Quod Diffinitores Generales Ordinis in toto Ordine sedeant juxta nostras Constitutiones, quamvis aliquod Diffinitorium sive Provinciale sive Generale Familiae actu celebretur in ea Domo, in qua aliquis Diffinitor Generalis Ordinis inveniatur; quo tempore juxta nostras Constitutiones Provincialis respectu Diffinitoris Generalis, & Minister etiam respectu Diffinitoris Provincialis amittat locum.

LXXX.

Quod Diffinitores Generales Familiae extra actualem Diffinitorii celebrationem intra suam Familiam sedeant post Ministrum, si ut Diffinitores Generales Ordinis; & extra suam Familiam omnes alios hospites tam Ministros quam Provinciales praecedant.

LXXXI.

Quod Provinciales hospites intra suam Familiam praecedant Provinciales hospites alterius Familiae: Et quod Diffinitores Provinciales hospites praecedant intra suam Familiam hospites Diffinitores Provinciales alterius Familiae; & quod postea eodem ordine sequantur Ministri hospites: postea Redemptores intra suam Familiam, & extra illam post Procuratores non hospites: postea Procuratores Generales: & post hos omnes Procuratores plurium Provinciarum: & si hospites fuerint, post Vicarium Domus: postea Procuratores Provinciales in suis Provinciis, & extra illas juxta antiquitatem professionis: postea Vicarii in suis Domibus, & extra illas juxta antiquitatem Domorum: postea Patres Confessarii intra & extra Familiam, Provinciam aut Domum suam: & postea Sacerdotes simplices, & caeteri omnes, prout in nostris Constitutionibus habetur.

LXXXII.

Quod futuris temporibus suffragia pro nostris Religiosis defunctis solum fiant intra Familiam eorum pro illis, qui professi fuerint post confirmationem harum Constitutionum. Quod tamen pro Superioribus Generalibus utriusque Familiae, & Diffinitoribus Generalibus, semper fiant in toto Ordine juxta nostras Constitutiones: Et pro Diffinitoribus Generalibus Familiae intra Familiam: pro Ministris Provincialibus & Diffinitoribus Provincialibus intra Provinciam juxta eas, quae in nostris Constitutionibus pro Diffinitoribus assignantur.

LXXXIII.

Quod Titularis Provinciae in Provincia: & Conventus in Conventu sit Festum Ordinis.

LXXXIV.

Quod primae & secundae Vesperae canantur in Conventibus in omnibus Festivitatibus Christi Domini, & ejus Sanctissimae Matris, quae ex ritu fuerint primae aut secundae Classis, quamvis ad colendum non pronuncientur.

LXXXV.

Quod pro nostris Religiosis defunctis in omnibus Conventibus & Collegiis fiant Exequiae post Festum omnium Sanctorum Ordinis, sicut statutum est per Capitula Generalia.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, Leges, Decreta, & Statuta hujusmodi bono praedictae Congregationis gubernio valde utilia sint; firmiora vero existant ea, quibus Apostolicae Sedis auctoritas accedit; Nobis propterea dictus Michael Procurator Generalis humiliter supplicari fecit,

Item Provincialis

De suffragiis pro Religiosis Defunctis

De Festivitatibus Ordinis

Supplicatum Sanctissimo pro confirmatione hujusmodi Statutorum

CXX.

Confirmantur omnes Confraternitates sub titulo B.M.V. Septem Dolorum a Superioribus Generalibus Ord. Servorum B.M.V. erectae, etiam si de earum canonica erectione non constet.

Dec. die 14. Dec. 1733. Pont. An. V.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§.1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Petrus Maria Pieri, Prior Generalis Ord. Servorum B. Mariae Virginis, quod licet non solum multa in dicti Ordinis, sed etiam aliis Ecclesiis seu Oratoriis auctoritate Priorum Generalium ejus Praedecessorum erectae reperiantur Confraternitates utriusque sexus Christianissimum sub titulo B. Mariae Virginis Septem Dolorum, quae suas funciones ad instar similibus Confraternitatum obeunt, multaque pietatis & christianae charitatis opera exercent; de aliquarum tamen ex illis canonica ab initio institutione forsan non constat: & in aliarum erectionibus & institutionibus praescripta per Constitutionem se re. Clementis VIII. praedecessoris Nostri, quae incipit: Quaecumque a Sede Apostolica etc. die 7. Decembris 1604. editam, forsan servata non fuerunt: & aliae ante emanatam Constitutionem hujusmodi erectae & institutae novas erectionum & institutionum hujusmodi, ac communicationis Indulgentiarum, facultatum, & privilegiorum literas intra tempus ab eadem Constitutione praescriptum, seu etiam postea, impetrasse minime reperiantur.

Prioris Generalis Ordinis hujus petitione

§.2. Nobis propterea dictus Petrus Maria Prior Generalis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, & ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsum Petrum Mariam specialis favore gratiae prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, omnes & singulas Confraternitates praedictas sub titulo B. Mariae Virginis Septem Dolorum a Superioribus Generalibus in quibusvis tam dicti Ordinis, quam aliis Ecclesiis seu Oratoriis, ubicumque locorum de praesenti erectas, tametsi de earum canonica ab initio erectione & institutione non appareat, nec ipsae Confraternitates novas erectionum & institutionum, seu communicationis Indulgentiarum, facultatum & privilegiorum hujusmodi literas intra tempus a praedicta Clementis praedecessoris Constitutione praescriptum obtinuisse reperiantur, nec in earum erectionibus & institutionibus praescripta per eandem Constitutionem servata fuerint, auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus & validamus, eaque in statu valido esse

Confirmantur omnes adreccionis cum continuatione omnium Indulgentiarum, Privilegiorum &c.

cit, ut in praemissis opportune providere, & ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsum Michaellem Procuratorem Generalem specialis favore gratiae prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium praepositorum, qui rem mature perpenderit, consilio, omnia & singula Decreta, Statuta, Leges, & Capitula praesentia, auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulos juris & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenierint, supplementis: salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium.

Que benigni conceditur.

Harum Literarum obedientiam

§.3. Decernentes, easdem praesentes literas, & Leges, Decreta, Statuta, & Capitula praesentia, semper firma valida & efficacia existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sique in praemissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiti debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Obstantium decogatio.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis; necnon Congregationis Hispaniae, & Ordinis praedictorum, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate, alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores praesentibus pro plene & sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptis adhibenda.

§.5. Volumus autem, ut earundem praesentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensa.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 10. Decembris 1733. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

B b b & fore

& fore, decernimus & declaramus, in omnibus & per omnia, perinde ac si illas omnes & singulas ab ipso initio canonice erectas & institutas fuisse, novaque erectiones & institutiones suo tempore juxta formam memorate Constitutionis Clementis prædecessoris obtinuisse constaret, & in reliquis ejusdem Constitutionis forma in illarum erectionibus & institutionibus respectively servata fuisset, omnesque & singulos juris & facti defectus, qui propter præmissa desuper quomodolibet intervenerint, seu intervenisse dici, censeri, vel prætendi possint, supplemus & sanamus; & quatenus opus sit, ipsas Confraternitates omnes & singulas, servata tamen ceteroqui Constitutionum & Decretorum hujus Sanctæ Sedis, præsertim circa distantiam locorum, in erectione Confraternitatum similis Institutij servandam, emanatorum, forma & dispositio-

ne, de novo erigimus & instituimus. §.3. Cæterum in erectione & institutione similibus Confraternitatum de cetero faciendis formam in supradicta Clementis prædecessoris Constitutione præscriptam adamus servari volumus; alioquin erectiones & institutiones hujusmodi nullius omnino sint roboris vel momenti.

§.4. Decernentes, easdem præsentis litteras semper firmas validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat & pro tempore quomodocumque spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respectively inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§.5. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit, Nostra & Cancellariæ Apostolicæ Regula de non concedendis Indulgentiis ad instar, ac prædicta Clementis Prædecessoris, aliusve Apostolicis, necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.6. Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 14. Decembris 1733. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

Addito Decreto quod in futuris erectionibus servetur forma Constit. Clementis VIII.

Clausula.

Statutum, ut Capitulum Generale Congregationis Montis Oliveti Monachorum Ord. S. Benedicti de quinquennio in quinquennium de cetero celebretur.

Dat. die 19. Dec. 1733. Pont. An. IV.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

§.1. Cum, sicut dilectus filius Procurator Generalis Congregationis Montis Oliveti Monachorum Ordinis S. Benedicti tam suo quam majoris partis Abbatum dictæ Congregationis nomine Nobis nuper exponi fecit, ipsi feliciori regimini in spiritualibus & temporalibus, atque indemnitati ejusdem Congregationis prospiciendi studio, illius Capitulum Generale, quod singulis triennii cogi consuevit, non nisi de quinquennio in quinquennium deinceps celebratum iri summo opere desideret. Nobis propterea idem Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, quatenus in præmissis opportune providere, & ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignemur. Nos igitur, qui rectam ipsius Congregationis administrationem, ac levamentum sinceris exoptamus affectibus, dictos Procuratorem Generalem & Abbates specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliusque ecclesiasticis sententiis, ceniuris, & poenis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ut de cetero Capitulum Generale Congregationis præfatæ quolibet quinquennio a proximo futuro Capitulo Generali, quod anno 1735. celebrandum erit, incipiendo, atque ita perpetuis futuris temporibus de quinquennio in quinquennium continuando celebretur; sicque dignitates & alia munera & officia ejusdem Congregationis, quæ triennio terminantur, ad quinquennium itidem imposterum perdurent; ita tamen, ut durante quinquennio ejusmodi omnia & singula Monasteria dictæ Congregationis bis, secundo scilicet, & quarto anno visitari debeant, ac tertio anno Visitatores dictæ ipsius Congregationis, in Monasterio Montis Oliveti Majoris nuncupati celebrandæ, intervenire teneantur, auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus & ordinamus.

Petisio.

Concessio de qua in Rubrica.

Clausula.

§.2. Decernentes, ipsas præsentis litteras semper firmas validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quomodocumque spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respectively inviolabiliter & inconculse observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores,

Statutum, ut de cetero Fratres Congregationis Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum Epitogium gestent.

Dat. die 14. Jun. 1734. Pont. An. IV.

Clericis bisce Regularibus Alexander PP. VIII. Constit. sua concessit, ut incedere calcæati.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§.1. Cum, sicut accepimus per Constitutiones Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum, a fel. rec. Gregorio PP. XV. Prædecessore Nostro per quosdam suas litteras Apostolicas desuper confirmatas, in Cap. VI. de vestibus in eis de Tunica talari, brevique Pallio nominatis, præcipiatur absque eo, quod de Epitogio ulla mentio fiat; unde in vim Constitutionum hujusmodi Epitogium præfatam minime admittitur, nec excluditur, sed postquam dicta Congregatio in ejus initio instituta fuerat in statu paupertatis, illius Religiosi pedibus denudatis incedebant, & tempore hyemali tam domi quam extra eam ejusmodi pallium, cum nullus ordo sive statutum ea super re emanaverit, ob solam consuetudinem in Italia Provinciis introductam gestare consueverunt, dum in aliis Ultramontanis sola veste domi tam æstivo quam hyemali tempore utuntur, ac cum subhabitibus pelle subfuta, & hypocaustis a frigore valde commode se tuerentur.

Causæ hujusmodi petitionis.

Calcæamenta Clericis hujusmodi Ordinibus ab Alexandro PP. VIII. concessa.

§.2. Porro postquam pia mem. Alexander PP. VIII. pariter Prædecessor Noster per suas litteras desuper, in simili forma Brevis die 20. Februarii 1690. expeditas, statuerat, ut Religiosi ejusdem Congregationis ex causis in prædictis litteris adductis calcæati incederent, nonnulli ex illis usum memorati Epitogii, quemadmodum alii Clericorum Regularium Ordines utuntur, promovere cogitarunt; & de facto aliqui ex ejusdem Italia Provinciis in illorum Capitulis inter alias petitiones in Capitulo Generali faciendas, etiam exposcendi Epitogium pro tota Congregatione, ad effectum illud obtinendi cum decreto ipsius Capituli Generalis, interposuerunt; idque facile obtentum fuisset, si in suffragium, decernendum proponeretur.

Inconveniens videtur, eos solo indutus Pallio incedere.

§.3. Quantum autem inconveniens & indecorum sit, quod ipsi Religiosi Scholarum Piarum, qui pallio solummodo induti domi & extra illam, ac per omnes officinas incedere, & ex Instituto, quod exercent, cum personis secularibus frequenter agere debeant, ab aliis Clericis Regularibus in hoc dissimiles habeantur: Hinc est, quod Nos audita super præmissis dilecti filii nostri Joannis Antonii Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis Guadagni nuncupati, in Alma Urbe nostra Vicarii in Spiritualibus generalis, & dictæ Congregationis apud Nos & Sedem Apostolicam Protectoris, relatione in-

Bbb 2 iidem

Fides transumptorum.

Cogere ut Episcopatum Regent, conceditur.

isidem pramissis providere volentes, Motu pariter proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolica potestatis plenitudine, ut de cetero omnes & singuli memorata Congregationis Clerici ubique locorum Epitogium ferant, ita tamen, ut in eo gestando ab omnibus similitudo & aequalitas conservetur, tenore presentium perpetuo statuimus & ordinamus.

Clausula.

§.4. Decernentes, easdem presentes literas semper firmas validas & efficaces existere & fore; ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in pramissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiti debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§.5. Non obstantibus predictis Gregorii & Alexandri praedecessorum literis, aliisque Constitutionibus Apostolicis, necnon dictae Congregationis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia, roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis; Quibus omnibus & singulis, illorum tenores praesentibus pro plene & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.6. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo persona in ecclesiastica Dignitate constituta munitis, eadem prorsus fides in iudicio & extra adhibeatur, quae ipsi praesentibus adhiberetur, si forent exhibere vel ostensa.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 14. Januarii 1734. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

F. Card. Oliverius.

CXXIII.

Dat. die 19. Januarii 1734. Pont. An.IV.

Monachis Congregationis Cassinen. Ordinis Sancti Benedicti interdictum recurrere ad Sedem Apostolicam, antequam vicinioris Provinciae Visitatorem, ac mox Praesidentem Generalem Congregationis adiant.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Causa huic per nos petenti Deere.

§.1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Congregationis Cassinen. Ordinis Sancti Benedicti, quod licet a fel. record. Eugenio IV. Gregorio XIII. & Urbano VIII. Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris districte veritum fuerit Monachis dictae Congregationis ad quodcumque Tribunal Ecclesiasticum extra ipsam Congregationem quomodolibet recurrere & appellare, prout in eorundem praedecessorum Constitutionibus desuper emanatis districte cavetur; nihilominus, sicuti experientia compertum est, non pauci praedictae Congregationis Religiosi salubrium ejusmodi Constitutionum, quas forsitan tempore exoletas & antiquatas reputant, immemores, variis sub praetextibus, sed revera, ut errorum suorum poenas debitas effugiant, adversus suos Superiores ad hanc Sanctam Sedem immediate recurrere passim praesumunt; unde ultra turbas & molestias, quibus iidem recurrentes se ipsos exosos & contemptibiles reddunt, non raro procedunt delictorum impunitas, Praelatorum contemptus, ac nonnullorum Superiorum in continendis & regendis subditis suis negligentia: qui scilicet, ne continuis horum recursum subiaceant, multos excessus atque abusus, quibus protinus occurrere oporteret, tolerant, vel dissimulant in grave Monasticae disciplinae detrimentum. Nobis propterea dictus Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportunè providere, & ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§.2. Nos igitur ipsum Procuratorem Generalem specialibus favoribus & gratiis prolequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, ac tam memoratis Constitutionibus Apostolicis, quam Generali Decreto dudum jussu re. me. Sixti PP.V. Praedecessoris pariter Nostri a Congreg. tuoc existentium S.R.E. Cardinalium, negotiis & consultationibus Regularium praepositorum edito, circa recursum & appellationem eorundem Regularium, ordinemque in eis servandum, inhaerentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ne deinceps ullus Religiosus praedictae Congregationis Cassinen. cujusvis dignitatis, gradus, & conditionis existat, Sedem Apostolicam adversus suum Superiorem adire audeat sive praesumat, nisi prius ad vicinorem Visitatorem Provinciae, ac deinde ad Praesidentem Generalem praefatae Congregationis Cassinen. desuper recursum habuerit, sub poenis in dicto Decreto generali contentis auctoritate Apostolica tenore praesentium prohibemus ac interdicimus.

Decreti tenor.

§.3. Decernentes, easdem presentes literas semper firmas validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat & pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; Sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiti debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam

Clausula.

quam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon Congregationis Cassinen. & Ordinis praefatorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis; Quibus omnibus & singulis, illorum tenores praesentibus pro plene & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 19. Januarii 1734. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

F. Card. Oliverius.

CXXIV.

Dat. die 26. Jan. 1734. Pont. An.IV.

Confirmantur Constitutiones pro bono regimine Fratrum Tertii Ordinis Sancti Francisci, ex aliis Constitutionibus, Statutis, & Decretis dicti Ordinis collectae.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Praemium.

EX injuncto Nobis divinitus Apostolicae servitutis officio ea, quae pro felici prosperoque Christianidelium, qui e fluctibus saeculi in portus religiose vitae confugerunt, & vota sua in Sanctitate & Justitia reddere satagunt, regimine & gubernio, ac Religionis Incremento, tuendaque & solidanda in eis pace, & tranquillitate provide prudenterque constituta ac disposita esse noscuntur, ut firma semper & inviolabilia persistant, Apostolice muniminis Nostri praesidio, cum id a Nobis petitur, libenter roboramus.

Perito pro Apost. obtinenda confirmatione.

§.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Bonaventura Gervasi Procurator Generalis Fratrum Tertii Ordinis Sancti Francisci tam suo quam dilecti etiam filii Pauli Bellamo Ministri Generalis, aliorumque Religiosorum ejusdem Ordinis nomine, quod ad unam certamque, quae in dicto Ordine deinceps servari ac retineri deberet, vivendi normam & disciplinam, sublata omni confusione, ac legum seu statutorum varietate atque discrepantia, constabiliendam ac firmandam, Constitutiones Ordinis praedicti jussu Nostro ordinatae, & in unum volumen collectae fuerunt, utpote desumptae ex multis diversisque aliis ejusdem Ordinis Statutis & Constitutionibus, tum a fel. rec. Urbano VIII. ac Innocentio X. Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris per suas in simili forma Brevis die 8. Julii 1639. & die 27. Junii 1650. respective expeditas literas, con-

firmatis, tum a Capitulis & Desinatibus Generalibus ipsius Ordinis, quae ab anno 1619. hucusque celebrata sunt, editis, quibus omnia insuper decreta, alias a Nobis condita, & per nostras in pari forma Brevis die 21. Augusti 1730. emanatas literas approbata accesserunt, ac subinde collectio Constitutionum hujusmodi de mandato pariter Nostro revisa & accurate expensa; necnon aliqua ex parte emendata fuit, tenoris, qui sequitur, videlicet.

C A P. I.

Quoad Chorum, & Orationem mentalem.

Constitutiones.

1. Ab Horis Canonicis in Choro alternatim recitandis nemo ex nostris cujuscumque gradus exemptus sit, prater Praedicatores, dum actu tamen praedicant & Lectores, dum actu legunt, extra vero festivitates, & dum adsit sufficiens numerus Choristarum.

Qui sint exempti a Choro.

2. Ubi non adest usus recitandi Matutinum in medio noctis, recitetur prope ortum solis, vel ut mos jam obtinuit, paulo post ejus occasum, cui tunc intersint quoque in Ecclesia Laici legitime non impediti.

3. Hebdomadarius ne praesumat de sua memoria, sed in Breviario vel Diurno legat, quae in Choro solus recitare debet, sub poena veniam petendi coram simul discumbentibus.

De Oratione mentali, & qua exemptus nemo.

4. Singulis diebus habeatur mentalis oratio per horam, incipienda tamen a lectione, alicujus libri spiritualis, & complenda Sanctorum Litanis ante coenam, cui interesse debent etiam Regentes, & Lectores, licet actuales, sicuti communi flagellationi, & Capitulo culparum.

5. Post Primam quoque mentaliter oratur per semihoram, inclusis tamen B. Virg. Litanis.

C A P. II.

Quoad casus in nostro Ordine jure haram Constitutionum reservados.

1. Ut unusquisque ex nostris Superioribus jus suum recognoscat, quoad Casus reservados, declaramus, quod ex nunc, & in perpetuum infrascripti tantum Casus in Ordine nostro ex auctoritate Regulari sunt reservati, nempe:

Casus Ministro Generali reservados.

1. Occisio, aut mutilatio cujuscumque persona.

2. Quaelibet percussio Praelatorum, Procuratoris Generalis, Secretarii Generalis, necnon Secretarii Provincialis.

3. Veneficia, Incantationes, Sortilegia.

4. Retardatio, aut malitiosum impedimentum, aut aperitio literarum Generalis aut ejus Commissarii aut Procuratoris Ordinis ad quoslibet alios, etiam non Religiosos, aut aliorum quorumcumque subditorum, & saecularium ad eosdem.

5. Fal-

5. Falsificatio manus, vel sigilli Patris Generalis, Commissarii Generalis, aut Procuratoris Ordinis.

Casus Ministro Provinciali reservati.

- 1. Quælibet percussio gravis Religiosorum infra Prælatos & personas, supra nominatas in secundo casu Ministro Generali reservato; quæ percussio erit gravis, si fuerit cum notabili effusione sanguinis, vel cum scandalo secularium.
2. Juramentum falsum in quolibet iudicio legitimo.
3. Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum post fetum animatum, etiam effectu non sequuto.
4. Falsificatio manus, aut sigilli omnium Superiorum, ac etiam Officialium Conventuum, sed infra Generalem, Procuratorem Generalem, & Commissarium Generalem quemlibet.
5. Malitiosum impedimentum, retardatio, aut aperitio literarum a Superioribus omnibus, exceptis Generali, ejus Commissario, & Procuratore Generali, ad inferiores etiam non Religiosos, & horum ad ipsos.
6. Furtum rei Sacræ, quod sit peccatum mortale.

Casus Superiori locali reservati.

- 1. Nocturna & furtiva e Conventu egressio ad malum finem.
2. Proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale, ut valeat ultra decem julios, etiam pecunie.
3. Furtum de re valente ultra decem julios, etiam pecunia, sed non rei Sacræ.
4. Incestus Consanguineorum, & Sodomia.
5. Percussio levis sine effusione sanguinis, & sine scandalo secularium, cum censura annexa.
6. Decernimus etiam, ut quater in anno, nempe in solemnitatibus Resurrectionis a Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis pro una vice tantum: Natalis Domini: B. P. Francisci: & in Festo Portiuncule ceteris quoad prædictos casus omnis reservatio.

C A P. III.

Quoad suffragia Defunctorum.

- 1. Pro Anima cujuscumque ex nostris defuncti celebretur in quolibet nostri Ordinis Conventu Missa solemnitas de Requie, persolvatur a Clericis integrum Defunctorum Officium, & ab illiteratis quinquages recitetur oratio Dominicalis & salutatio Angelica cum oratione, cujus initium: Requiem æternam; Idque solemnitas fiat in funere Summi Pontificis, & Eminentissimi Ordinis Protectoris.
2. Item pro anima, ut supra, celebretur semel quilibet sacerdos ex ejus Provincia, & quilibet ex toto Ordine pro anima Genera-

lis, Procuratoris Generalis, & Secretarii Generalis tam actualium quam prætorum.

3. Ut autem mors nostrorum Defunctorum illico toti Ordini innotescat, teneatur Prior Conventus, ubi quis obierit, de hoc obitu Provincialem admonere, qui illum, communicet cæteris sue Provincia Prioribus, & Procuratori Generali in Curia, a quo admonendi sunt cæteri Provinciales, ut ipsi in suis Conventibus pro Defuncti anima statuta suffragia persolvi studeant.

4. Præterea ultra quatuor Anniversaria, in singulos annos statuta in nostra Regula sub Cap. 17. præcipimus persolvi quantum die 15. Novembris, vel altera, ea impedita, pro iisdem animabus, ac sub iisdem suffragiis.

5. Demum in quolibet nostro Conventu adsint etiam duo libri, in quorum uno Prior annotet Religiosum ibi decedentem sub die, infirmitate, & ætate, qua obierit, ac expressis gradibus, si quos habuit: & in altero subscribantur Sacerdotes, qui pro nostris Defunctis celebraverint, ut ita & onera & simul eorum adimplementum Visitatoribus legitime appareant.

C A P. IV.

Quoad Affiliationes & Exfiliationes.

1. Commendantes laudabilem Filiationum morem, a nostris jamdiu receptum, ut ita habeatur locus, ubi fatui, ægri, insanabiles, senes, errati alicujus poenam luentes, & his similes, qui Conventibus gravi sunt incommodo, collocari possint, præcipimus, ut nemo ad habitum admittatur, nisi habeat alicujus Conventus Affiliationem, sub poena privationis officii Superiori, admittenti aliquem ad habitum sine Affiliatione. Si quis autem reperitur admittens sine prævia Affiliatione, ad Capitulum illius Provincia spectabit, eum declarare filium unius potius vel alterius Conventus.

2. Affiliationes, & exfiliationes, ut sint validæ, requirunt etiam in scriptis consensum Ministri Provincialis, qui tamen consensus suppleri potest, causa cognita a Ministro Generali.

3. Habito autem, vel suppleto consensu Provincialis, affiliatio, ut sit valida, requirit etiam consensum majoris partis filiorum Conventus, cujus nempe quis sit filius. Et si prædicti ad hunc effectum Vocales quoad majorem partem sint intra Provinciam, licet extra Conventum, tunc eorum suffragium exquiratur per epistolas. Idem profus consensus requiritur ad exfiliationes, ut sint validæ; ita tamen, ut si indebite denegetur a majori parte filiorum Conventus, a cujus filiatione quis discedere petit, suppleri possit, cognita causa, a Ministro Generali.

4. Exfiliatio nullum censetur habere effectum, nisi prævia, vel post obtentam legitime affiliationem alterius Conventus ab eo, qui exfiliationem habuit.

5. Demum expensæ pro infirmitate incurabili, vel longo carcere, spectent ad Con-

De communicando toti Ordini obitu Defuncti.

Ad habitum non admittendi, qui non habent Affiliationem.

Quid requiratur ad validitatem Affiliationis.

Et exfiliationis.

ventum filiationis, sicuti & decedentium, spolia, modo tamen, quo infra Cap. XI.

C A P. V.

Quoad Novitios, & de recentibus Professos.

1. Pro admissione Novitiorum, ac emittenda Professione, eorumque Magistris, serventur ea, quæ præscribuntur in nostra Regula Cap. VII. & IX., ac Decreta Clementis PP. VIII. & Sacræ Congregationis super statu Regularium, edita sub Alexandro PP. VII. die 18. Junii 1659. Et insuper antequam nostro sancto Habitu induantur, vel jam probati emittant Professionem, vacare debent Exercitiis spiritualibus per decem dies, & eorum, quilibet obtinuisse debuerit filiationem alicujus Conventus, ut supra statutum est Cap. I. V. quoad affiliationes.

2. Nullus etiam in nostrum Ordinem introducat, qui in alieno professionem emiserit, & quidem nec de licentia Ministri Generalis, cum hanc facultatem hujusmodi reservaverit Congregatio Generalis.

3. Laici nequeant transire ad statum Clericalem, & si furtim fuerint Sacris initiati, omni Clericali honore priventur, nec eis divinum Officium in Choro cum Clericis persolvere permittatur, sed ad laicalia onera omnino redacantur. Neque etiam admitti debent ad annum probationis, nisi antea saltem per annum in aliquo ex nostris Canoniis vacaverint oneribus laicalibus in habitu tertiariorum, neque cum Tunica talari sine Caputio; Possit tamen Provincialis quoad hoc ex aliquo prudenti motivo cum illis dispensare.

4. Quamvis affiliatio, & exfiliatio modo, quo supra statutum est sub Capite IV. quoad affiliationes, fieri debeant tantum a majori parte filiorum Conventus; attamen in admittendis Novitiis vocem habeant omnes legitime profecti in Conventu de Familia existentes, si tamen tertium annum professionis compleverint, & ibi fuerint per duos menses antea commorati. Cum Sacerdotibus autem super prædicto defectu minoritatis professionis dispensare possint tum Generalis, tum Provincialis.

5. Quo autem ad noviter Professos, debent ii permanere in Professorio per tres annos, & ad majus tempus, ad arbitrium Provincialis, dummodo non sint Sacerdotes; ibique in scientiis instituantur juxta eorum capacitatem. Quod si a Conventu Studiorum ali non possint, alatur unusquisque eorum a Conventu sue filiationis. Quid autem Conventui Studiorum dandum sit, standum erit iudicio Provincialis cum suo Definitorio.

6. Demum Provinciales curent, ut superflui sumptus in ingressu ad Novitium, & admissionem professionis omittantur.

C A P. VI.

Quoad Tertiariorum, seu Heremitas.

E nostris, qui virtute privilegiorum a Summis Pontificibus Nostro Sancto Ordini

Non admittendi in alieno profecti Ordine.

Laici ad statum Clericalem non promovendi.

De noviter Professis.

concessorum, facultatem habent aggregandi ad nostrum Institutum personas seculares, & eisdem literas patentes concedendi, ut gestare possint Habitum heremiticum, nemo per se ipsum, sive per alios sub poena privationis officii possit ab illis aliquid pretendere, nisi dumtaxat julium unum monetæ romanæ ratione expensarum cartæ pergamænæ, & Scriptoris dictarum literarum. Quod si quid aliud sponte & libere fuerit illi oblatum, illico ab eo sub eadem poena in capia reponatur, ac in libro peculiari fideliter annotetur, & rotum in Beneficium Ecclesiæ & Conventus aut Provinciae cedere debeat.

C A P. VII.

Quoad votum Obedientiæ, Vagos, & Apostatas.

1. Nihil a Superioribus subditis præcipiatur sub censuris, nisi sit materia peccati mortalis, aut proxime ad illud conducentis. Subditus vero respiciens temere & pertinaciter per duos dies hujusmodi præceptum, prius sit utraque voce ad tres menses, & si ita inobediens fuerit Provinciali, ad annum, si vero Generali, ad biennium.

2. Nemo nostrum audeat e iam titulo Prædicationis exire e Conventu sine licentia Prioris, aut ejus locum tenentis; nec ex Conventu ad alium inter Provinciam sine licentia in scriptis a Provinciali; nec ex una ad aliam Provinciam sine licentia pariter in scriptis a Generali, sub poena arbitraria Superioris, quem laxerit, Prior autem poterit, si necessitas urgeat, subdito suo concedere, ut per hebdomadam in alio Conventu intra Provinciam moretur, & Provincialis per viginti dies in Conventu alienæ Provinciae; sed non sine licentia in scriptis pro fide legitimi recessus.

3. Exiens e Conventu furtim ad malum finem de nocte poenam subeat privationis utriusque vocis ad annum, & deponatur ab officio, si sit Superior. Obedientiæ demum, a quocumque Superiore concessæ, durent ad tres menses a die datæ, nisi aliter limitentur.

4. Prior intelligat, Religiosum ad se divertentem esse fugitivum ex deficientia literarum obedientialium, quas inde a quolibet Advena exquirere debeat. Repertum autem fugitivum, in carcere detineat, donec ab illius Priore, vel Provinciali, per ipsum requisitis, sciat quid quoad eundem agere debeat.

5. Fugitivi, qui per dies octo vagarunt extra Claustra, priventur utraque voce ad tres menses; qui vero per dies quindecim, per sex menses, & ad hanc proportionem crescente vagatione creseat & præfata poena.

6. Apostatam de rigore, seu qui ipso facto excommunicationem incurrit a jure, eum solummodo declaramus, qui sine vel cum Habitu ab Ordine discedit cum animo amplius non redeundi, juxta Regulam Cap. XX.

7. Repertus in Apostasia sine Habitu, ultra privationem utriusque vocis ad biennium, subeat

Poenæ contra inobedientes.

De licentia petenda antequam quis exeat e Conventu &c.

De Fugitivis.

De Apostatis.

subeat etiam poenam carceris, & privationis precedentiae ad sex menses.

8. Demum Apostata, qui ad suum Conventum redierit, poterit a Priore absolvi ab excommunicatione, quod & praestari potest a Provinciali in sua Provincia, a Generali ubique, & a Procuratore Generali in Curia.

C A P. VIII.

Quoad Votum Castitatis.

Poenae contra peccantes in castitate.

1. Ut securius a nostris Castitas servetur, eis vetita sint mulierum dubiae famae consortia familiaria, & suspecta, sub poena privationis utriusque vocis ad annum.

2. Convictus de inhonesto concubitu, ultra supradictam poenam, carceri mancipetur per menses tres, & per sex, si fuerit cum scandalo. Captus vero a Curia seculari in aedem mulieris inhonestae, puniatur etiam poena exilii ad triennium.

C A P. IX.

Quoad Votum Paupertatis.

1. In quolibet Conventu adsit capsa triclavis, quarum clavium una sit penes Priorem, alia penes Procuratorem, & alia penes electum a Familia. In praefata capsa triclavi reponi debent, ultra pecuniam, quae spectat ad Conventum, vel ad Fratres particulares, etiam notae, vulgo Sproprae, singulorum de Familia, in quibus, sed unusquisque in sua fideliter exprimat, ultra quantitatem pecuniae, ea etiam mobilia, quae de licentia Superioris retinet ad usum proprium.

2. Pecunia spectans ad Fratres particulares expendi quidem debet ab expensoribus vel expensoribus electis, sed non nisi in beneficium ejus, qui eam reposuit in capsa triclavi, sub poena privationis vocis activae & passivae, ac majoris, Priori, vel cuicumque alteri, qui fecus fraudulenter egerit.

3. Nullus ex nostris, sub poena proprietarii debita, mutuet extra Ordinem pecuniam, nisi de consensu Prioris, & cum pignore, praesentibus duobus Patribus gravibus & fide dignis. Pignus autem & confessio reponantur in capsa triclavi.

Poenae contra Proprietarios.

4. Convictus dedisse rem valoris ultra viginti julios, si dederit eam extra vel intra Ordinem, ut gradus vel officia regularia consequeretur, sit ultra privationem utriusque vocis ad biennium, privus obtentis, quam poenam subeant quoque Superiores, qui eo intuitu munera receperunt; circa vero largitionem munerum servetur inviolabiliter Bulla Urbani PP.VIII.

C A P. X.

Quoad Indumentum.

Forma Indumenti.

1. Indumentum exterius sit tunica talaris, sicut & pallium, quod sit juxta communem Ecclesiasticorum formam, ut hodie est

in usu; Scapulare utrinque angulare; & horum quodlibet ex lana coloris vulgo Berretino, quod potius ad nigrum colorem vergat; Pileus vero coloris nigri: Pallium, quod domi aut in itinere deferatur, ex panno nigri coloris deferri posse concedimus: subtus nemo serius vestiatur, sub poena privationis utriusque vocis ad sex menses, toties quoties inobediens repertus fuerit: Interulis lineis uti possint: Extra Cellam non incedant sine tunica & caputio, licet sine eis cubare possint: manicam pelliceam nostris non negamus, sed sit lana vel panno nigro tecta: Chirothecas quoque modesti coloris, dum iter agunt, permittimus: Tonfura in Clericis ad formam Coronae non sit nudum signum Monasticum, sed nec tale, ut comam nutrire videantur.

C A P. XI.

Quoad Infirmos, & Spolia decedentium.

1. Ubi e nostris quis infirmatur, illico Prior sub poena privationis officii sedulo curet, ut in valetudinario cuncta illi subministrantur opportuna tam in animae spirituali, beneficium, quam pro corporis salute recuperanda, & quidem ex bonis ipsius Conventus, si convaluerit, & fuerit ibi de Familia; si vero ibi morabatur, ut hospes, ex bonis Conventus suae assignationis, a quo discesserat.

De distributione Spoliorum.

2. Si vero mori contigerit in Conventu, cujus non erat filius, tunc ex ejus spolio, si adsit Conventus, in quo moritur, sumat quidquid expenderit pro ultima ejus infirmitate & funere, & reliquum detur integrum Conventui filiationis.

3. Si vero obierit in Hospitio Lauretano, in quo erat de Familia, si adsit spolium, demptis ex eo expensis pro ultima infirmitate & funere, dividatur pro medietate inter Hospitium & Conventum filiationis; idque quia praefatum Hospitium saepe gravatur a nostris peregrinantibus ad Sacram Aedem Lauretanam.

4. Nemini ex Superioribus liceat aliquid ex spoliis decedentium accipere; soli tamen Ministro Generali permittitur sit de eorum parva aliqua quantitate disponere in evidentem Ordinis utilitatem.

C A P. XIII.

Quoad Studia scholastica.

1. Lectores Philosophiae, vel Sacrae Theologiae, ac Regentes, a solo Ministro Generali eligi possint vel deponi, ita & eorum Scholares, qui illis quoad ea, quae studia concernunt, subsint; immo congruit, ne eos Prior, dum studia sunt aperta, e Conventu exire permittat sine illorum licentia.

Lectores a quibus eligendi.

2. Studia scholastica aperiantur post Festum Nativitatis Beatae Mariae Virginis, & claudantur post mensem Junii; ubi autem usus invaluit, ut mense Novembri studia aperiantur, tunc non nisi post Festum Assumptionis B.M.V. claudantur.

Tempus apertionis Studiorum.

3. Dum

Assignatio dierum pro Lectionibus hebdomadae.

3. Dum studia sunt aperta, studentes bis tantum in hebdomada ultra Feriam Quintam e Conventu exeant, extra tamen tempus, quo lectionem audire debent, & semper de licentia Prioris: Lectores vero, excepta pariter Feria Quinta, & qualibet alia festiva, bis quotidie lectionem habere debent, nempe de mane, & post Vesperas. Duobus autem saltem hebdomadae diebus post Vesperas loco lectionis insimul conveniant studentes cum Lectoribus ac Regente, & disputent super iis, quae ab illis audierunt in hebdomada.

Doctrina Scilicet defendenda.

4. Lectores Philosophiae & Theologiae suos doctrinam Joannis Duns Scoti, Doctoris subtilissimi ex Ordine Minorum, doceant, eamque tum in privatis tum in publicis disputationibus, quibus praesunt, propugnent, secus lectorum privilegii non gaudeant. Item si stans supra temporibus, excepto Quadragesimali, in quo Provincialis Regentibus & Lectoribus facultatem praedicandi concedere possit, lectiones legitime non impediti per integrum mensem non habuerint, ipso facto ab officio Lectores vel Regentes suspensi intelligantur, absque spe restitutionis. Si vero tantum ter per hebdomadam eas omiserint, corrigantur a Priore, qui sub poena privationis officii persistentes in negligentia Ministris Provinciali & Generali revelet. Item non occupentur alio officio incompossibili, verbi gratia, non sit quis simul Prior, & Lector seu Regens. Demum Regens, qui per annos quatuordecim nostros erudierit, possit de consensu Generalis eligere sibi Conventum, ubi aliqualem famulatum habeat ab uno ex laicis, a Priore deputando.

C A P. XIII.

Quoad laureandos.

Laurea Doctoratus a Ministro Generali concedenda.

1. Cum se. re. Innocentius PP. XII. Ministro Generali nostri Tertii Ordinis, pro tempore existenti, concesserit facultatem privative quoad omnes alios conferendi Doctoratus seu Magisterii lauream Fratribus in dicto Ordine professis, qui antea Philosophiam per tres, & super omnibus Sententiarum Libris Sacram Theologiam per alios quatuor annos laudabiliter legerint & docuerint, prout latius in suo Brevis sub die 17. Maji 1692. Ut id exacte observetur.

Distributio Tractatum.

2. Statuimus, quod sub primis tribus annis, & quidem proculdubio naturalibus, a Lectore Philosophiae tradantur integra Logica, octo libri de Physico Auditu, libri de Ortu & Interitu, de Caelo & Mundo, de Elementis, de Anima, & de Methaphisica: Ita & in primo ex quatuor pro Sacra Theologia tradantur ab ejus Lectore tractatus de Proemialibus Sacrae Theologiae, de Dei quidditate & perfectionibus, Attributis, de Visione Beata, de Scientia, Voluntate, Providentia, & praedestinatione Dei, & de Myserio Trinitatis: In secundo de Angelis, de Actibus humanis, de Virtutibus & peccatis, ac de Gratia & Justificatione: In tertio de Myserio Incarnationis, & de Virtutibus Theologicis: In quarto de Sacramentis in genere, de Pœni-

tentia, ac de Sacramento Eucharistiae: Et donec praefati omnes Tractatus non fuerint Studentibus traditi, septem anni lectione requisiti ad lauream Magisterii obtinendam, non intelligantur completi.

3. Si plures in uno Collegio sint, qui eodem Scholares, ut congruit, Sacram Theologiam doceant, Tractatus supra designatos ita sibi dividant, ut de utroque eorum verum sit, in quatuor annis super quatuor Sententiarum libros legisse, ut eis conferri possit, servatis aliis servandis, laurea Magisterii.

4. Si Lectoribus desint Studentes Religiosi, duo saltem Discipuli Saeculares, non tamen pauciores, eis conferant ad lauream consequendam. Sed de adimplemento utriusque lectione ad normam supra traditam, ultra fidem juratam a Priore & duobus Patribus principalibus Conventus, ubi legerint, fidem juratam a Provinciali, qua indigent, qui legerint nostris Religiosis, habere debent.

C A P. XIV.

Quoad Examinatores generales.

1. Cum ad gradus literarios promovendi sunt Examinatores non sint nec plures nec pauciores, quam viginti & unus, nempe ultra Regentem pro tempore Sanctorum Cosmae & Damiani de Urbe, septem pro Provinciis Romana, Marchiana, Aprutina, Neapolitana, & Calabrensi, octo pro Provinciis Mediolanensi, Bononiensi, Brixienti, Veneta, & Dalmatina, ac quinque pro Provincia Sicula.

De numero, Et qualitatibus Examinatorum.

2. Praefati Examinatores Generales approbati debent a Definitorio Generali, & iemel approbati, durante eorum vita, deponi non possint, nisi probati infideles in eorum munere examinandi. Cum autem quis eorum moriatur vel renuntiet, alter a Ministro Generali proponatur, sed approbandus a Definitorio Generali, ut ejus electio sit valida. Habeant quoque votum activum in Capitulis Provincialibus suae tantum Provinciae, atque ejusdem Provinciae expensis accedant.

C A P. XV.

Quoad Regentes Generales.

1. Adsint etiam quatuor Regentes Generales, quorum munus sit praesidere Cathedralibus seu Conclusionibus, si quae fuerint disputandae, in Capitulo praesertim Generali, si ibi adsint, vel ut Vocales, aut vocati. Praesideant etiam Conclusionibus publice disputandis extra tempora Capitulorum, dummodo tamen non adsit in Conventu Regens particularis.

De numero.

2. Assumentur ex Magistris, in Philosophia & Sacra Theologia versatioribus, nec ex eadem Provincia, nisi duo; Eligantur eo fere modo, quo Examinatores Generales, quorum privilegii gaudeant; immo eos praecedant, cum possident summum gradum literarium.

Et electione Regentium Generalium.